







1785.

19. Pohlmann, Antonianus, Ridesicus: De rationibus protestantium successionis in res uterque maternas exiuribus.
20. Puelhmann, Fr. Lud. Sm, fac. jur. procancellarius: (De querela inofficiorum testamenti patribus uterisque hanc concedenda). Programma, quo sollemnia inaugurationis Christiani Augusti Gunttheri indicit.
21. Puelhmann, Fr. Lud. Sm, fac. jur. procancellarius: (Miscellaneorum ad ius pertinentium specimen II). Programma, quo sollemnia inaugurationis Tili Gollat Gubernatoris . . . indicit.
22. Puelhmann, Fr. Lud. Sm, fac. jur. procancellarius: (Miscellaneorum ad ius pertinentium specimen I). Programma, quo sollemnia inaugurationis Benefactorum Caroli Henrici Heydemiselli . . . indicit.
23. Puelhmann, Fr. Lud. Sm, fac. jur. procancellarius: (An et quatenus iurissimum, qui pauper, a poena excuset eam de miseria?).

1785.

24. Puellmann, Jos. Lud., Em. Jac. Jos. prorektor.

Latin: (De numero doctorum prudentia legis-  
latoria minuendo seu de remediis nonnullis  
contra frequentiam honorum, cessionis et credi-  
torum concursus). Programm, quo sollemniter  
inaugurata Christiani Gualtero Marckii in Urst

25. Puellmann, Jos. Lud. Em.: De lubrico iudicio.

71111

26. Ran, Christianus: Gector Saxoniae juris  
Saxoniae defensor.

27. Roemer, Carolus Mauricus, s.: De juribus  
majestatis eorumque speciebus.

28. Roering, Carolus Gualter: Commentatio ad titulum  
II priores leges Anglorum et Visinorum.

29. Rummel, Baltheo-Frider: De comparatione legum  
Romanarum cum Graecorum institutis.



1785

30. Legemus, Joh. Theophilus: De comitibus Palatinis  
Saxoniae
31. Winck, Fredericus Aug. Guilielmus: De concessione  
insignium in imperio Romano-Germanico. Pro-  
gramma, quo ad accedentes orationes in memo-  
riam Henrici Ridelii et Siefertii invitatur.
32. Wenda, Fredericus Augustus Guilielmus, fac. phil.  
procuratorius: De concessione insignium in  
imperio Romano-Germanico. II. Programma, quo  
philosophiae candidatis de competitiois in-  
diciis.
33. Winckler, Carl Gottfr., de, fac. jur. procuratorius:  
Adnotatio IV, V et VI ex adversariis juris ju-  
diciarii. Programma, quo solenniter inaus. Carolae  
Frederici Conradi indicitur.
34. Winckler, Carl Gottfr., de, fac. jur. procuratorius:  
Problemata juridicorum: De abolenda restitutione  
in integrum ex causa aetatis. Programma, quo

solemnis inauguratio Caroli Gottlobii Raessigii  
in die 17.

35 Vinckler, Carol. Godsp. de: Adversaria juris  
judicarii in primis quoad concursum cred.  
Forum



...zu  
...is  
...ed)

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.



*Handwritten text on the right edge of the page, possibly a library stamp or note.*





1785, 20.

2


PROCANCELLARIVS  
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS  
I. V. D. INST. PROFESSOR ORDINAR  
ET COLLEG. ICTOR. ASSESSOR  
SOLLEMNIA INAVGVRALIA  
PRAECLARISSIMI CANDIDATI  
CHRISTIANI AVGVSTIGÜNTHERI

A. M.

A. D. VII. APRILIS MDCCLXXXV


PVBLICE CELEBRANDA

INDICIT









VINDICIAE  
DISSERTATIONIS

DE

QUERELA INOFFICIOSI TESTAMENTI FRATRIBUS  
VTERINIS HAUD CONCEDENDA.

---


**P**ostquam anno huius seculi sexagesimo primo diss. meam inauguralem de querela inofficiosi testamenti fratribus vterinis haud concedenda proposueram, multi quidem viri adprime docti plausum huic dedere sententiae, eamque vni-  
ce veram esse confessi sunt, sed nec defuerunt, qui seu con-  
tradicens studio, seu animo praecoccupato contrariae sub-  
scriberent opinioni, fratresque vterinos a querela haud ex-  
cludendos esse defenderent. Equidem etsi, sicubi a recto  
aberravit animus, vineta ipse mea haud grauate caedere  
soleo, experientia quippe edoctus, verissimum esse, quod  
apud TERENTIUM *Adelph. V.4.* legitur:

*Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad  
vitam fuit,*

*Quin res, aetas, vsus semper aliquid adportet noui,  
Aliquid moneat; ut illa, quae te scire credas, nescias,  
Et quae tibi putaris prima, in experiundo repudies;*

a 2

non-



nondum tamen a me impetrare potui, vt, deferta illa de fratribus vterinis a querela excludendis sententia a), quasi transfuga in contrarias partes discederem, propterea quod argumenta mea sanequam firmissima a nonnullis quidem impugnata, a nemine autem adhuc diluta aut labefactata esse viderem. Ne quis tamen silentium meum ita interpretetur, ac si me victum profiterer, aut ne cui saltem haec causa suspecta videatur, age, argumenta aduersariorum recentiorum breuiter stricteque refellere studeamus.

Antequam autem ad hoc ipsum nos accingamus, opus erit lectoribus potiora causae nostrae argumenta in animum reuocare. Cardo rei vertitur in l. 27. C. de inoff. test. vbi ita CONSTANTINVS M. aut sub eius persona potius IUSTINIANVS, duabus CONSTANTINI legibus, l. scilicet 1. et 3. C. Th. de inoff. test. in vnam confutis, verbis nonnullis mutatis, additisque quibusdam laciniis:

*Fratres vel sorores vterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arceantur, consanguinei autem, durante agnatione, vel non, contra testamentum fratris sui, vel sororis, de inofficioso quaestionem mouere possunt, si scripti heredes infamiae, vel turpitudinis, vel leuis notae macula adspersantur, vel liberti, qui perperam et non bene merentes, maximisque beneficiis suum patronum adsecuti, instituti sunt, excepto seruo necessario herede instituto b).*

Iam

- a) Multos praeter alios, in *all. diff.* iam nominatos, sententiae nostrae etiam subscribit PETR. DE GREVE *ad Inst. loca difficultior.* (Noniomag. 1663.) p. 179. nec non ALEX. CHASSANAEVUS in *Paratit. Inst.* p. 110. Fratres, inquit, haec querela non transgreditur, nec vterioris cognationis propinquus conceditur, veluti fratris sororisue filius, l. 21. C. de inoff. test. neque indistincte fratribus omnibus datur; vterini enim non admittuntur, l. 27. C. eod.
- b) Partem huius leg. posteriorem, huc non pertinentem; explicatam dedimus *Interpr. et Obs. c. 29.*



Iam ita argumentati sumus: Cum TRIBONIANVS *l. 27. C. de inoff. test.* varie interpolauerit suisque aptatam temporibus Cod. repetit. praelect. inferuerit; cum verba *l. 1. C. Th. eod. Fratres vterini ab inofficiosis actionibus arceantur in l. 27.* transfulerit; cum illis etiam *vel sorores* addiderit, cumque haec omnia fecerit, postquam *l. 14. §. 1. C. de leg. her. c)* fratres vterinos iamiam legitimos reliquorum fratrum heredes esse iusserat; profecto non potest non voluisse, vt *d. cap. 27.* legis polleret auctoritate, fratresque vterini ab inofficiosi querela penitus arcerentur. Quodsi *l. 1. et 3. C. Th. de inoff. test.* integras et illibatas in Cod. repetit. praelect. transfulisset, dici forsitan posset, hoc ideo ab eo factum esse, vt nihil penitus antiquitatis a nobis ignoraretur, non, vt vim iuris CONSTANTINI leges haberent. Nunc cum TRIBONIANVS, veluti pictor aut statuarius, Iustinianee statueae CONSTANTINI caput adiunxerit, hoc est, cum variis *l. 27.* onerari laciniis, et ad iurisprudentiam sui temporis inflexam Cod. repetit. praelect. inferuerit, stultus sane fuisse, nisi hoc ideo fecisset, vt CONSTANTINI constitutio ab ipso interpolata pro lege valeret.

His porro addidimus auctoritatem duorum iuris graeci interpretum, STEPHANI puta et THALELAEI, quorum ille *Basilic. Tom. V. p. 224.* ait:

a 3

Ex

c) Vbi ita Imperator: *Etiā vnum gradum pietatis intuitu transferri a iure cognationis in legitimam volumus successionem, vt non solum fratris filius et filia ad successionem patris sui vocentur, sed etiam germanae, consanguinae, vel sororis vterinae filius et filia soli, et non deinceps personae vna cum his ad iura auunculi sui perueniant, et mortuo eo, qui patris quidem est fratris sui filius, auunculus autem sororis suae subiti, simili modo ex utroque latere succedant, tanquam si omnes legitimo iure ueniant, scilicet ubi frater et soror superstites non sunt. His etenim personis praecedentibus et hereditatem admittentibus ceteri gradus remaneant penitus semoti, idemque repetit et interpretatus est in *l. 15. §. 1. C. eod.**





*Ex iis, qui sunt a latere, frater de inofficioso testamento agere potest, si modo sit consanguineus, durante, vel non, agnatione, et turpis sit persona heredis scripti. Nam turpi persona herede scripta, etiamsi re ipsa magna non sit turpitudine, sed leuis notae macula, consanguineus frater potest agere de inofficioso testamento fratris, ut constat ex const. 27. eiusd. libr. et tit.*

hic autem ibid. pag. 265.

*Nemo eorum, qui sunt ex transuerso, agit de inofficioso, praeter solum fratrem et sororem, turpibus personis heredibus scriptis, vel liberto non bene merito de fratre, videlicet si consanguinei sint. Nam, ut ait const. 27. huius tit. vterini fratres non agunt querela.*

Neque vero hasce produxisse copias contenti fuimus, sed etiam quidquid WESTENBERGIUS, HEINECCIUS, MARKARTVS ET BOEHMERVS contradixerant, pro virili retudimus, quod neminem, qui cap. II. III. et IV. diss. nostrae (quae quidem, ne cramben bis coctam apponere videamur, hic repetere nihil attinet) attente animoque haud praeoccupato legerit, inficias iturum esse confidimus.

Qui nouissime hoc argumentum aggressi, sigillatimque diss. nostram adorti sunt, ii quidem nihil noui protulerunt, sed fere aliorum dicta tantum recoxerunt, nihilominus autem nouitatis speciem prae se ferre haud dubitarunt, quod cuiilibet a partium studiis alieno facile apparebit. Quidquid autem proferunt, id omne ad duo referri potest capita *d*).  
Di-

*d*) Reliqua enim, quae a nonnullis in medium proferuntur, ad summam rei non pertinent, sed ἀλλότρια continent, quibus nec stat, nec cadit sententia nostra.




Dicunt scilicet 1) querelam inoff. testament. dari secundum ordinem edicti successorii, adeoque fratres vterinos, legitimos reliquorum fratrum heredes, haud magis, quam consanguineos, a querela excludendos esse, 2) l. 27. C. de inoff. test. etfi non disertis verbis, tacite tamen per *Nou. 118. cap. 4.* abrogatam esse.

Neque vero haec ita comparata sunt, vt ideo arena nobis cedendum, aut vadimonium deferendum videatur. Quod enim ad prius attinet, falsissimum est, querelam vel olim secundum ordinem edicti successorii datam, vel hodie in ea accommodanda eundem ordinem obseruandum esse, qua quidem in re fere omnes, qui aequo Ioue iudicare didicerunt, consentientes habemus. Haud lubet hic repetere ea, quae iam diximus in *diff. nostra p. 19. sq.* sed testimonium potius denunciabimus *PETR. DE TOVLLIEV Collectan. p. 225.* scribenti: *Saepe apud antiquos animaduertas, alibi esse querelam, alibi hereditatem legitimam, seu iis aliquando querelam accommodari, qui, si testator absque testamento decedere maluisset, nullam hereditatis ipsius partem sibi potuissent vindicare. Exemplum est apud Plinium Lib. V. Ep. I. ubi narrat, Curianum quendam, a matre exheredatum, querelam inofficiosi contra eius testamentum mouisse, non sine spe obtinendi, nisi lis transactione sopita fuisset. Iam vero filio materna hereditas ab intestato non debebatur iis temporibus, quibus scripsit Plinius, rel. e).* Nec dissentientes iuuat *lex,*  
qua

e) Idem argumentum *PETR. DE TOVLLIEV* est persecutus vsque ad pag. 234. his tandem finiens verbis: *Ex iis omnibus sitis euidenter constare mihi videtur id, quod supra diximus, querelam inofficiosi antiquis temporibus non secundum ordinem succedendi ab intestato, sed iure peculiari competuisse, adeoque non fuisse petitionem hereditatis ab intestato, sed*  
(ita





qua imprimis nituntur, 31. pr. D. de inoff. test. ubi ita Ictus: Si is, qui admittitur ad accusationem, nolit aut non possit accusare, an sequens admittatur, videndum est: et placuit, posse, ut fiat successioni locus f). Hoc enim quomodo intelligendum sit, iam docuit PETR. DE GREVE Exerc. ad Pand. p. 189. Si is, inquit, qui admittitur ad accusationem, nolit aut non possit accusare, sequens admittitur, ut successioni locus fiat, quod non est intelligendum de gradu sequente, sed de diversa linea, ut, quoniam alterius ius est favorabilius, simul in querela concurrere non possint, veluti si quis exheredauerit filium, et silentio patrem omiserit; nec non CORN. VAN ECK Thes. iur. contr. p. 26. In querela inoff. test. non est locus edicto successorio, ut gradus gradui succedat, adeoque ut filio iusta de causa exheredato nepos ex sua persona testamentum aui quasi inofficiosum accusare possit; quocum fere conuenit ARN. VINNIVS Select. iur. quaest. L. I. c. 20. (ubi disquiritur, an in querela inofficiosi locus sit edicto successorio?) scribens: Hoc in iis tantum procedit, qui, si eos nemo ordine aut gradu praecessisset, statim citra illum edictum successorium querelam mouere potuissent, si videlicet ex-

here-

(ita loqui liceat) ab iniuria et violati naturalis iuris ultione. Pleraque PETR. DE TOLLIVS argumenta tam clara sunt atque perspicua, ut nulli dubio locum relinquunt. Nos quidem, cum scrinia eius expilare nec libeat, nec vacet, eos, qui hac de re adhuc dubitant, ad TOLLIVM ipsum remittere cogimur.


f) Successionem hic audio, edictum successorium, praetoris quippe inuentum, nequaquam. Etiam si vero demus, quod dari haud potest, edicto successorio in querela inofficiosi locum quodammodo esse, necessario tamen hoc ad eas personas, quibus querela ex lege competit, restringendum, nequaquam autem ad alias, quibus diserte negatur, extendendum esset.



heredati fuissent aut praeteriti, nomine eos praecedente in causa successionis ab intestato. Igitur hi, praeterito exheredatoue, qui praecedebat, agere nolente, aut non valente, vidoue, admittuntur ad accusationem ordine successorio ex propria sua persona: proprioque iure suo. En igitur, quantopere fallantur, qui, quod a tot Ictis legum Rom. scientissimis dudum profligatum erat, denuo in rem suam vertere, eoque veluti argumento palmario vti haud dubitant! Et quid? nonne, si ordo edicti successorii in querela inoff. test. obseruandus esset, necessario etiam fratrum germanorum liberi, quippe quibus fratres sororesque vnilaterales in successionem ab intestato cedere tenentur g), ad querelam admittendi essent? quod tamen illi ipsi, contra quos in praesenti disputamus, haud statuunt, recteque improbauit Ill. G. L. BOEHMER in diss. de querela inoff. donat. fratrum §. 21. *Nec fratris filiorum causam inuat nouior succedendi ab intestato ordo, quo vna cum fratribus ad successionem patrum vocantur: successionis enim ab intestato ratio in hac querela inter illas tantum personas habetur, quibus querela ex lege competit.* Ego si quid video, necessario horum alterum statuendum est, aut vterius a querela excludendos, aut germanorum etiam liberos ad illam admittendos esse. Aliter si sentiamus, nae male cohaerentem, immo aduersa fronte secum pugnantem habebimus iurisprudentiam. Quod bene animaduertens PETR. DE TOVLLIEV l. c. p. 237. scribit: *Immo vero*

g) Nou. 118. c. 3. Unde consequens est, vt, si forte praemortuus frater, cuius filii viuunt, per vtrumque parentem nunc defunctae personae iungebatur, superstites autem fratres per patrem solum forsan aut matrem ei iungebantur, praeponebantur istius filii propriis ibiis, licet in tertio sint gradu, sicut eorum parens praeponebatur, si viueret.





vero non improbabiler dici posse existimarem, querelam non tantum fratribus germanis, verum etiam iis competere, qui eos repraesentant, et una cum ipsis ante fratres ab uno tantum parente coniunctos succedunt, scilicet filiis praedefunctorum fratrum germanorum, idque ex mente Iustiniiani ita statui posse b). Vide quaeso, quo progredi necesse sit iis, quibus omnia in arte nostra miscere, iurisque *ὁρᾶ Πυρρ* flocci pendere piaculum est! Nec silentio praetereundum, edictum successorium longe alium in finem, ac querelae inofficiosi gratia, propositum fuisse. Postquam scilicet praetor plures successionum species introduxerat, easque per ordinem disposuerat, ne actiones creditorum differantur, petendae bonae possessioni certum tempus praefiniuit, eumque in finem edictum successorium proposuit, quod ita conceptum fuisse videtur: *Qui ad bonorum possessionem vocantur, eam petant liberi et parentes intra annum, ceteri intra centesimum diem. Si quis eorum eam bonorum possessionem dari sibi noluerit, aut diebus statis non admitterit, tunc ceteris bonorum possessionem ita dabo, ac si prior ex eo numero non fuisset.* Vid. Tit. D. de successor. edict. et I. O. WESTENBERG *Pandect. h. r.* Taceo iam, edictum successorium a IUSTINIANO multis partibus mutatum fuisse, ut ipse testatur in §. 4. I. de bon. poss. Sed eas quidem praetoria introduxit iurisdictio, a nobis tamen nihil incuriosum prae-

b) Idem sedit I. H. BOEHMERO in *diff. de querela inofficiosi frat. consanguin.* §. 25. Si fratrum germanorum liberi una cum consanguineo defuncti fratre exclusi sunt a testatore, soli fratrum germanorum liberi ad querelam admittuntur, quia paria cum germanis iura in successione acceperunt, et praeterea consanguineis praeseruntur, rel. quod qua ratione nuper negari a nonnemine potuerit, equidem haud video.



❖ — ❖

11

praetermissum est, sed nostris constitutionibus omnia corrigentes contra tabulas quidem et secundum tabulas bonorum possessiones admittimus, rel. Sed taedet plura hanc in rem addere, ne aut portam patentem perfringere, aut soli lucem foenore velle videamur.

Ad alterum igitur, cuius supra mentionem fecimus, argumentum transeamus, quamque nihil ei inquit veri, ostendamus. Aiunt scilicet, l. 27. C. de inoff. test. per Nou. 118. cap. 4. tacite abrogatam esse i).


b 2

Magnus

§ Aliam plane viam ingressus est C. F. PAELIKE in diss. de erroribus quibusdam circa querelam inoff. test. (Holmsf. 1763.) vbi p. 34. l. 27. C. de inoff. test. iam per l. ult. C. de leg. ber. sublatam esse contendit, difficultates autem huic opinioni obstantes triplici ratione amoliri satagit, Primo, inquit, ex subscriptione l. ult. C. de leg. ber. patet, eam Id. Octobr. promulgatam esse. Pone autem, l. 27. mensi Iun. aut Iul. compositam esse, sequeretur, compilatores iure meritoque hanc l. Cod. R. P. inserere debuisse, cum eo tempore nondum sublata esset. Deinde etsi concederemus, laud. leg. ult. iam fuisse publicatam, cum l. 27. compileretur, larga tamen manu nobis se offerunt eiusmodi exempla, leges se inuicem derogantes Cod. esse incertas. Quapropter concludo, compilatorem huius leg. mutationem hanc suscipere necessarium haud existimasse, quia regula iam adoptata erat: Lex Iustiniani derogat legi Constantini; aut tandem verisimile est, compilatorem, cum haec noua iura conderet et veterinos cum consanguineis exaequaret, non cogitasse Constantini constitutionem. Enimvero frustra haec dici omnia, confidenter credo. Cur enim quaeso solius leg. ult. hic meminit PAELIKE, cum tamen IVSTINIANVS iam l. 14. C. eiusd. tit. anno 522. proposita fratres sororesque veterinos et veterinas legitimos reliquorum fratrum fororumque heredes fecerit, vt ex verbis supra adscriptis manifestum est? Hoc autem posito prima PAELIKII ratio (qua praeterea gratis aliquid sumitur, quod probari haud potest) sua sponte evanescit. Ad alteram quod atinet, haud quidem negamus, leges nonnullas sibi inuicem derogantes Cod. R. P. insertas esse. Sed haec ratio ideo huc non quadrat, quia l. 1. et 3. C. Tb. de inoff. test. non geminae et integrae, sed passim interpolatae et in vnam legem conflatae Cod. R. P. insertae fuerunt ita, vt CONSTANTINI nomen reapse mentiantur. Tertio denique loco

com-





Magnus autem mihi erit Apollo, qui argumenta eam in rem fati firma protulerit. Ait IUSTINIANVS in all. *Nou.* 118. c. 4.

*Nullam vero volumus esse differentiam in quacunque successione aut hereditate inter eos, qui ad hereditatem vocantur, masculos ac feminas, quos ad hereditatem communiter definiuimus vocari, siue per masculi, siue per feminae personam defuncto iungebantur; sed in omnibus successioneibus agnatorum cognatorumque differentiam vacare praecipimus, siue per femineam personam, siue per emancipationem, siue per alium quemlibet modum prioribus legibus tractabatur, et omnes sine qualibet huiusmodi differentia secundum proprium cognationis gradum ad cognatorum successione ab intestato venire praecipimus.*

quibus ex verbis manifestum est, Imperatori hic vnice de successione ab intestato sermonem fuisse. Desert *Nou.* 118. hereditatem ab intestato, sed, vt recte obseruauit GER. NOODT in *Commentar. ad D. tit. de inoff. test.* non aliter, quam si testator in totum intestatus decesserit, neque adeo ad successione, quae fit testamento pro parte, nempe quod ad heredis institutionem, non aequè quod ad reliqua attinet capita, per querelam rescisso, pertinet.

Itane vero, inquis, testator hoc casu pro parte testatus, pro parte intestatus decedit? Ita sane est, vt iam  
Int.

compilatoribus *Cod.* indiligentia incuriaque impingitur, cuius hic certe reos sese haud fecerunt. Sed facile patet, haec omnia a PAELIKIO ideo tantum conficta esse, vt causae suae seruiret, adeo vt haece somnii haud iniuria vetus illud oclames:

*Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa?*




*Int. et Obs. cap. 31. ostendimus. Sanciuit scilicet IUSTINIANVS in Nou. 115. c. 3. vt testamentum per querelam non in totum, sed solummodo, quantum ad heredis institutionem, rescindatur, firmis manentibus non modo legatis et fideicommissis, sed tutelae etiam datione, in testamento tantum, non aequae ab intestato, obtinente. Ex quibus satis apparet, tale testamentum valere ex parte, neque patremfamilias iure nouissimo per querelam omnino intestatum fieri k). Quae cum ita sint, magnopere errant, qui querelam inofficiosi hodie meram hereditatis ab intestato petitionem, eundemque in ea concedenda ordinem, qui in successione legitima post Nou. 118. obtinet, seruandum esse opinantur. Alia sane successione ratio est, hereditate ab intestato alicui delata, alia testamento per querelam inofficiosi pro parte tantum rescisso. Et quid, nonne ipse IUSTINIANVS in l. pen. §. 1. C. de adopt. filio ab extraneo adoptato in successione quidem ab intestato ius sui heredis patris adoptantis concessit, querelam autem inoff. eidem denegauit? Nec satisfacit, quod huic argumento nuper quidam reposuit his verbis: *Adoptiuus extranei filius iam patris naturalis testamentum — inofficium dicere poterat. Iam, si eidem quoque licuisset testamentum patris adoptiuum — querela inoff. rescindere, duplex ius habuisset testamentum, tam patris naturalis, quam adoptiuum,**

b 3

k) Ait quidem POMPONIVS in l. 7. D. de R. I. *Ius nostrum non patitur, eundem in paganis (i. e. paganum) et testato et intestato decessisse, earumque rerum naturaliter (ex regulis scilicet iuris ciuilibus) inter se pugna est, testatus et intestatus.* Enimvero haec regula non caret exceptionibus. Vid. l. 15. §. 2. D. de inoff. test. nec non PETR. FABRI *Commentar. ad Tit. D. de diu. reg. iur. p. 48. §. 10. GVIL. MARCKART Interpret. recept. iur. ciu. lect. Lib. 11. c. 24.* et O. L. DE EICHMANN *Sauml. Kl. Abbandl. (Halae 1782.) no. 24.*





optiui, impugnandi, id quod, cum praeter omnem iuris rationem fuisset, Iustinianus adoptato filio haud concessum voluit. Cur quaeso praeter omnem iuris rationem? Quodsi eiusmodi filius duplicis hereditatis ab intestato particeps fieri potest, quare IUSTINIANVS eidem non duplicem etiam querelam, contra vtrumque scilicet testamentum, largiri potuisset? Ego sane nihil hic inepti aut absonti video. Vtunque autem sit, hoc certe negari nequit, querelam inofficiosi et successionem ab intestato haud semper pari passu ambulare, nonnullasque personas ab illa excludi, quae huius participes sunt.


Cum igitur successionis ab intestato et querelae inofficiosi diuersa ratio, ab illaque ad hanc argumentum ducere haud fas sit, frustra sane sunt omnes, qui ita argumentantur: *Cessante legis ratione, ipsa cessat lex. Iam, cessante per Nou. 118. agnatos inter et cognatos discrimine, necessario sequitur, vt vterini etiam fratres praeteriti querela inofficiosi gaudeant.* Cum enim prius falsum sit, non potest non etiam posterius sua sponte corruere. Semper scilicet eo confugiunt aduersarii, vt querelam inofficiosi secundum ordinem edicti successorii dari contendant. Est autem hoc *πρώτον* illud *ψεύδος*, quo euerso necesse est, euanescat omnis argumentorum inde ductorum vis, corruantque omnes, quae inde repetuntur, consequentiae. Sane, si querela ordinem successionis ab intestato sequeretur, admittendi essent non modo vterini germanorumque liberi, sed omnes, qui iure succedendi ab intestato gaudent, dediscendumque, quod de cognatis, qui ultra fratres sunt, in *l. 1. D. et l. 21. C. de inoff. test.* scriptum legitur. Quanta vero sic strages in iurisprudētia daretur? Praeterea si, qui simul succedunt ab intestato, in querela etiam mouenda eadem iura haberent, haud intelligo, qua-  
re



re ad querelam fratrum germanorum adhuc requiratur, vt turpis persona ipsis praelata fuerit. Succedunt illi simul cum parentibus ab intestato. Cur quaeso in querela deterioris, ac parentes, conditionis esse debent, et qui fit, vt, vbi familia suadent aduersariorum argumenta, ipsi non bene iunctarum discordia rerum semina proferant? Manet igitur, quod scripsimus in all. diff. p. 18. *Multum illa inter se distant, nec a successione ab intestato ad querelam inofficiosi recte argumentum ducitur. Haec constitutionibus ad certas personas restricta est, neque secundum regulas successione ab intestato ordinatur. Facile quidem IUSTINIANO fuit, admittere vterinos ad successione ab intestato, nullo facto testamento, multo autem difficilius, iisdem facultatem, testamentum rite conditum impugnandi, concedere, quod quia nec ab Imp. vllibi sancitum, nec l. 27. contraria lege abrogatam esse deprehendimus, iure ipsis denegamus.*

Ad haec valde vereor, ne, qui de tacita l. 27. C. de inoff. test. abrogatione cogitant, contra notissimas Rom. leges interpretandi regulas offendant. Bene PETR. DE TVLLIEV l. c. p. 222. monuit, abrogationem iuris antiqui, a TRIBONIANO maxime, tacite factam censi haud oportere. Valeat etiam hic, quod (etsi alia in causa) scripsit ABR. WIELINGIVS Lect. iur. ciu. II. 31. *Quis credat, Iustinianum, tanta semper ambitione iuris noui a se conditi, vel aboliti veteris laudem adsectantem, in hac causa nullam abrogati a se iuris antiqui mentionem fecisse?* Nec ad rem facit, quod quidam nuper reposuit, IUSTINIANVM nequaquam omnes leges sua ipsius manu scripsisse, sed diuersis eam in rem ministris vsu esse. Quasi scilicet verifimile haud esset, hos ipsos Principis, laudis audissimi, indolem noscentes illius ambitioni litasse, eiusque ad exemplum





plum se composuisse. Profecto, qui huiusmodi vtuntur effugiis, incassum laborant, tempusque fallentes nihil proficiunt. Qui ea de re adhuc dubitat, is VINNII *Sel. iur. quaest. II.* 20. et 21. nec non WIELINGII *Leß. iur. ciu. II.* 31. adeat. In *Const. Omnem §. vi.* IUSTINIANVS adeo DIOMEDI illi Homericō se comparat, proque aereis aurea se reddidisse gloriatur, *Quia*, inquit, *vestris temporibus talis legum inuenta est permutatio, qualem et apud Homerum, patrem omnis virtutis, Glaucus et Diomedes inter se faciunt, dissimilia permutantes:*

Χρόσια χαλκείων, εκατόμβρια ἑνεαβίων.  
Aurea aereis, centena nouenariis.

Notissimum praeterea est, iuris correctionem specialibus demum, non generalibus verbis induci, *l. 32. C. de appell. l. 27. C. de testam.* I. O. WESTENBERG *de port. leg. II.* 3. 12. Bene Scholias *Basilicor. Tom. V. p. 267.* Πᾶτα γὰρ καινοτομία ἐστὶν ὧν ἐισάγεται μόνον κεινῆ. *Omne ius nouum in his tantum valet, de quibus promulgatum est.* Saepe etiam in legibus superflunt consequentiae, relicto licet principio et iure antiquo, ex quo illae originem traxerunt, quod exemplis ostendimus *Interp. et Obs. cap. 30.* et *Prob. iur. ciu. L. II. c. 2. l)* nec, quae lege noua generaliter sanciantur, derogant casibus specialibus iuris veteris, *L. 26. §. D.*

1) Ita e. g. querela inofficiosi, etsi hodie non amplius est odiosa, nihilominus adhuc non nisi in subsidium, deficientibus scilicet aliis remediis, datur. Diserte IUSTINIANVS in *§. 2. l. de inoff. test.* *Tam autem naturales liberi, quam secundum nostrae constitutionis diuisionem adoptati ita demum de inofficioso testamento agere possunt, si nullo alio iure ad defuncti bona venire possunt. Nam qui ad hereditatem totam vel partem eius alio iure veniunt, de inofficioso agere non possunt.* De querela inoff. test. tanquam remedio subsidiario, vberius exposuimus *Aduersar. L. I. c. 6.*




D. de leg. Vid. CORN. VAN DER BYRCH *de exhered. et praeterit. liberor.* p. 20. HIER. SPANZOTTI *iur. ciu. lib. sing. (Venetiis 1770.)* p. 57. et ALOYS. CREMANVS *de offic. legumlat. et iurisconsult. in condend. vel interpretand. leg. (Liburni 1774.)* pag. 105.

Non iam quaerimus, quid sanciri a IVSTINIANO hac in caussa potuisset, sed quid reapse sancitum sit. Aliud legislatoris, aliud interpretis officium est. Ille de iure constituendo, hic de recta iuris constituti interpretatione quaerit. Nae autem magnopere falluntur et fallunt, qui (vt eleganter CORN. VAN ECK. in *praef. ad thes. iur. contr.*) omnia, etiam liquidissimi iuris scita in dubium vocant, et ipsam Themidem, tota quanta est, obtorto quasi collo ad infidum saepe rationis tribunal rapiunt; quod quid aliud est, quam leges nimis callida interpretatione eludere et vincula societatis ciuilis conuellere? Qui enim hanc iura discernendi et interpretandi viam insistant, vt semper solam rationem ducem sequi, et vel de certis ac indubitatis iuris praeceptis dubitare, omniaque in controuersiarum et disputationum pericula adducere audeant, nae illi intemptiuis suis ratiocinationibus nihil saepe aliud consequuntur, quam vt sine lege loqui, et cum ratione insanire videantur. Idem vitium notauit I. C. RÜCKER in *praef. ad Interpr. iur. ciu. opusc.* p. 157. *Vt mirum non sit, inquit, rationales illos interpretes quam facillime a vero aberrare et sensum legibus affingere a Icti mente saepe diuersum et alienum, aliquando eidem plane contrarium.* Ego quidem in legibus explicandis semper ante oculos habere soleo aureum illud cic. (*de Inu. II. 49.*) praeceptum: *Primum igitur leges oportet contendere, — deinde vtra lex iubeat, vtra vetet: nam saepe ea, quae vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, quae iubet; deinde,*

vtra





altra lex de genere omni, vtra de parte quadam, vtra communiter in plures, vtra in aliquam certam rem scripta videatur: nam quae in partem aliquam, et quae in certam quandam rem scripta est, promptius ad causam accedere videtur, et ad iudicium magis pertinere. Quod si omnes, qui in legibus interpretandis versantur, facerent, nae multis hallucinationibus et interpretationum monstris facile careremus. Magnopere cauendum est, ne legis cuiusdam scitum ad res diuersis rationibus subnixas transferamus, cum, nisi rationis similitudo extra omnem dubitationis aleam posita sit, argumentum ab analogia petitum locum haud inueniat. Vid. I. I. HOEFLERI *iurisprudentiae analogicae fundamenta*, Alti. 1742.

Iam, antequam finio, dubium, quod, quantum quidem scio, a nemine adhuc motum fuit, e medio tollendum est. Legitur scilicet in *Ecloga Basilic. Lib. 39. p. 369.*

ΘΑΛΕΛΑΙΟΣ. τότε κινείωσαν οἱ ὁμομήτερι καὶ ὁμοπάτρῳ  
τὴν de inofficiofo, ὅτε οἱ σκεῖται ἀτιμίας, ἢ ἀισχυρό-  
τητος, ἢ ἀτελεσάτης ἀτιμίας σπύλω βαντίζονται.

quod ita vertit LEVNCLAVIUS:

Thalelaeus: Tunc vterini et consanguinei fratres de inofficiofo querelam instituant, cum scripti heredes infamiae, vel turpitudinis, vel leuis notae macula adsparguntur m),

quae versio si recte se haberet, inde quidem constaret, THALELAEVM contrarias in partes abiisse, ceterum tamen sen-

m) Sicco pede hoc transit CAR. LABBAEVS in *Obs. et Emend. in Synops. Basilic. Paris. 1606. p. 124.*



sententiae nostrae nihil eo decederet, cum satis constet, saepius veteres iuris graeci interpretes legum romanarum sensum haud percepisse, aut prauas lectiones secutos esse. Ita, vt vno tantum hanc in rem vtar exemplo, in l. 29. §. 4. D. ad Leg. Iul. de adult. ait VLPIANVS: *Quaestum de adulterio vxoris facere proprie ille existimandus est, qui aliquid accepit, vt vxorem pateretur adulterari meretricio quodam genere. Quodsi patiatur vxorem delinquere non ob quaestum, sed negligentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem positus videtur, et tamen in Eclog. Basil. Lib. LX. p. 523 haecce occurrunt verba: εἰ δὲ πλημμελεῖν αὐτὴν ἀνέχεται διὰ ὑβρίστηα, si eam delinquere patiatur -- ob saeuitiam, vt facile appareat, graecos apud VLPIANVM non credulitatem, sed crudelitatem legisse, quam lectionem absurdam esse nemo non intelligit.*

Sed profecto grauiter lapsus est LEVNCLAVIUS, verba graeca οἱ ἀκουήτριοι καὶ ἀποπάτριοι per fratres uterinos et consanguineos efferens, cum reapse germani (vtrumque scilicet parentem communem habentes) iis exprimantur n). Ita enim iisdem verbis graeci vtuntur auctores, e. g. DEMOSTHENES, ceu iam docuit I. I. REISKIUS in *Indice Operum Demosthenis*, qui Lips. 1775. prodiit, p. 17. idemque in *Lex. etiam graec. Hederic. Ernestian. P. III. p. 573.* adnotatum video. Eodem autem sensu THALELAEVM quoque verba illa vsurpasse, inde plus quam manifestum est,

c 2

quod

n) Germani soli occurrunt etiam in l. 1. C. *Tb. de inoff. test.* TRIFONIANO autem magis placuit verbum *consanguineus*, quod priori illi in l. 27. C. h. r. substituit, ceu iam p. 10. diss. nostrae monuimus. Ceterum *Germanus* interdum etiam vsurpari pro *consanguineus*, ostendit I. F. REITZ *de ambiguis* p. 244.





quod idem, vt supra iam monuimus, *Basilic. Tom. V. p. 265.* disertis verbis scripsit: *ἐν ἀμελήτεσι ἀδελφοῖ ἐν γυνώ-  
ξουσι τῶν μέμλων, uterini fratres non agunt querela.* En  
igitur, quam grauiter haud raro viri etiam docti (vt hic  
LEVNCLAVIUS) hallucinentur, et quantopere cauendum sit,  
ne alienis erroribus temere subscribamus, aliisque parum  
videntibus ipsi etiam, quod sane fieri haud oportebat, cac-  
cutiamus. Sapienter *SENECA de vit. beat. c. l.* Nihil  
*magis praestandum est, quam ne pecorum ritu sequamur  
antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum est,  
sed qua itur.* De vsu fori iam diximus, in *all. diff. p. 32.*  
nec eam in rem plura addere operae pretium ducimus.

Sed indicenda nunc sunt sollemnia inauguralia

CANDIDATI DOCTISSIMI

CHRISTIANI AVGVSTI GÜNTHERI

A. M.


qui de vita sua, laudabiliter adhuc acta, ipse his  
verbis exposuit:

**E**go, Christianus Augustus Güntherus, natus sum Schoen-  
stadii, qui vicus est prope Longosalissam in Thuringia  
situs, a. C. 1808. patre Henrico Friderico, sacro-  
rum ministro, matre Agatha Christiana, Io. Christ. Ernesti,  
ecclesiarum in dioecesi Longosalissensi antistitis, filia natu  
maxima. Optimis parentibus, quod tristissimo fato ac-  
cidit, praematura morte mihi ereptis, educandi negotium  
auiam materna, cui Deus placidam seruet senectutem! et  
suscepit et summa cura gessit. Litterarum vero elementa  
in



in schola Longobaliffensi, optimorum magistrorum ductu, percepit. Post ad gymnasium Isenaccense accessi, ubi omnia in mea commoda euenerunt. Nam praeter b. Schumacheri et Briglebii, in primis Eckhardi, qui gymnasio maxima cum laude praest, disciplina saluberrima mihi contigit: quem virum necessitudinis vinculo mihi iunctum, tum propter summam institutionis fidem, tum propter singularem, quo me amplexus est, fauorem honoris causa nomino. Neque etiam possum silentio praetermittere, quum litteris humanioribus admodum delectarer, id mihi olim propositum fuisse, ut in academia theologiae studia tractarem, quo possem aliquando vitae scholasticae me tradere, omnemque in illo litterarum genere aetatem peragere. Sed, ex quo in academiā veni, omnis haec ratio, suadentibus iis, quorum apud me multum valere debebat auctoritas, prorsus mutata est, iuriumque potius addiscendorum consilium a me initum. Adii itaque almam hanc litterarum vniuersitatem a. 1610ccclxxvi. Bello eius gubernacula tenente, iam biennio ante in ciuium academicorum numerum receptus. Ibi studiorum ea mihi inita est ratio, ut ante omnia, quae aut ingenio acuendo, aut reliquis disciplinis illustrandis inferuiunt, perciperem. Hinc in explicandis scriptoribus ex vetustate Latinis Ernestium, Eloq. Prof. auunculum meum, qui consiliis et fauore me iuuit, in Graecis Morum et Reizium, in antiquitatibus Romanis et archaeologia litteraria b. Ernestium, in philosophicis Platnerum, in mathematicis Funckium et Geblerum, in historicis Wenckium praeceptores habui. Deinde propius ad iurisprudentiam accessi, ita quidem, ut ius naturae et historiam iuris Romani a Sammeto, ius ciuile a Richtero, canonicum, praeter b. Hommelium, a Bidermanno, qui nunc Dresdae Sereniss. Elect.






*Sax. a consiliis aulicis est, Germanicum publicum priuatumque et criminale ab eodem, feudale a b. Franckio, doctrinam de processu a Segero (cui etiam textum Institutionum iur. ciu. explicanti, nec minus criminale ius tradenti interfui) et Kindio perciperem. Iam Gœttingensem academiam adii, et Boehmerum in iure canonico, Pütterum in iure publico I. R. G. et Selchouium in Germanico priuato tradendo audiui. Quo factò Lipsiam regressus a. 1700. exercitationem iur. ciu. de poena, ab irato principe extra ordinem imperata, in diem tricesimum differenda, ad L. 20. C. de poen. scripsi, et praeside Richero in cathedra Ictorum defendi. Insequenti anno, examine pro Candidatura et praxi superato, Baccalaurei iur. vtr. honoribus ab Illustri Ictorum Ordine ornatus sum. Neque minus ab Ampliiff. Philosophorum Ordine artium magistri iura et dignitatem obtinui, et a. 1703. commentationem de lege naturae ex mente Ciceronis scripsi, atque in auditorio Philosophorum publico virorum doctorum examini proposui. Caeterum scholas iuris nat. et ciu. publice priuatimque habui, et inde ab aliquo tempore commentarios de rebus nouis ad iurisprudentiam spectantibus, Germanice conscriptos, cum amicissimo Ottone edere coepi.*

Nunc ad altiora progressurus nostrum adiit Collegium, vtque summi in iure honores ipsi tribuantur, petiit. Cui desiderio, postquam ad examen, quod vocant, rigorosum admissus Collegii expectationi omni ex parte satisfecit, cum deesse haud potuerimus, vt de eius doctrina atque eruditione publice etiam constet, proximo die Mercurii in auditorio Ictorum hora a meridie II. l. 8. C. de quaest. interpretabitur, deinde autem a. d. VII. huius mensis hora IX. eodem





eadem loco dissertationem inauguralem *de furto domestico* sine praeside publice defendet, quo facto *Vir Illustr. Excellentiss. atque Consultiss. Dom. 10. THEOPHILVS SEGERVS, Canonic. Numburgens. Supremae in prouincia Curiae, nec non Ordinis Istorum Lips. Assessor,* Fautor Collegaeque honoratissimus, cui ex decreto eiusdem Ordinis promotoris munus delegaui, summos in iure honores cum omnibus priuilegiis ac iuribus huic dignitati adnexis, sola spe ad sessionem in Collegio nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet atque concedet.

Quam sollemnitatem vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLUSTRISSIMIS VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, CIVES denique GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE praesentia sua honorifica splendidiorem reddere velint, enixissime rogamus. Sc, Lipsiae a. d. II. April. MDCCLXXXV.



32

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs.





Leipzig, Diss., 1785 P-Z

X 241 7854







1785, 20.  
2

PROCANCELLARIVS  
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D. INST. PROFESSOR ORDINAR  
ET COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

CHRISTIANIAVGVSTIGÜNTHERI

A. M.

A. D. VII. APRILIS MDCCLXXXV

PVBlice CELFBRANDA

INDICIT

